

Kirchliches Verordnungs-Blatt

für die

Laibacher Diözese.

N^o 1070.

Venerabili Clero Dioecesis Labacensis.

Quaecunq̄ue sunt vera, quaecunq̄ue pudica, quaecunq̄ue justa, quaecunq̄ue sancta, quaecunq̄ue amabilia, quaecunq̄ue bonae famae, si qua virtus, si qua laus disciplinae, haec cogitate. Haec monet Apostolus, qui simul scribit: „Qui gloriatur, in Domino gloriatur,“ in Domino, ait, gloriatur, non in sapientia secundum carnem, non in potentia mundi, non in nobilitate generis, sed in Domino, ex quo et nos sumus in Christo Jesu, qui factus est nobis sapientia a Deo et justitia et sanctificatio et redemptio. Quapropter ipse clamat: „Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, in quo neque circumcisio aliquid valet, neque praeputium, sed nova creatura.“ Dum autem Apostolus in cruce Domini nostri Jesu Christi gloriatur, simul hortatur: Imitatores mei estote, fratres! Omnes ergo, quicumque Christi nomen profiteamur, in cruce Domini nostri Jesu Christi gloriemur, in quo nova tantum creatura valet, quae nova creatura est novus homo, qui deposita conversatione, quae corrumpitur secundum desideria erroris, renovatur spiritu, et secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis, qui deposito mendacio loquitur veritatem cum proximo suo, quoniam sumus invicem membra, loquitur, quae sunt ad aedificationem fidei et dant gratiam audientibus, ita ut omnis amaritudo et ira et indignatio tollatur, et simus invicem benigni, misericordes, donantes invicem, sicut et Deus in Christo donavit nobis. Deus pacis regnet in cordibus nostris, ut non sint contentiones inter nos, ut unusquisque dicat: Ego quidem sum Pauli; ego autem Apollo; ego vero Cephae, quasi Christus esset divisus, aut homo esset crucifixus pro nobis, aut in hominis nomine essemus baptizati. Christus pro nobis est mortuus, in Christo sumus baptizati, Christum induimus, si modo induti et non nudi invenimur; in Christo autem non est Judaeus, neque Graecus, non est servus, neque liber, non est masculus, neque femina, nam omnes unum sumus in Christo Jesu. Omnia sunt ex Deo, et omnia propter hoc fecit Deus, ut nihil nobis impudemus, ut omnia Deo adscribamus, utque ostendat, omnes superna egere sapientia. Non solum autem in cognitione, sed et in aliis omnibus auxilio suo nos opus habere constituit: ut hac ratione maximam habeant occasionem et subjectionis et cum eo conjunctionis et necessitudinis. Propterea non eos ita dimisit, ut sibi sufficerent. Quamobrem sic gloriandi occasionem, non eis invidens sustulit, sed abstrahens ab exitio, quod inde proficiscitur. Haec felicitas nostra est, nihil omnino habere, quod Deo acceptum non referatur. Nam si gloriatus fueris in homine, ait S. Augustinus, potest inveniri aliquid in homine, imo multa inveniri possunt in homine, de quibus confundatur, qui in illo gloriatur. Cum autem audis

non esse in homine gloriandum, utique nec in te. Si gloriaris in te, in homine gloriaris: et hoc est stultius et execrabilius. Quia si gloriatus fueris in homine justo aliquo vel alio sapiente, ille non in se gloriatur, in quo tu gloriaris: tu autem, si in te gloriaris, non sapiens, non justus es: si autem non oportet in homine sapiente gloriari, multo minus oportet in insipiente gloriari. Qui autem gloriatur in se, in insipiente gloriatur. Eo ipso enim insipiens convincitur, quia in se ipso gloriatur. Ergo qui gloriatur, in Domino gloriatur: nihil tutius, nihil securius. Si potes, habes quod apprehendas, in Domino gloriatus non confunderis. Non enim aliquid reprehensionis inveniri potest in illo, in quo gloriaris. Agnosce a quo acceperis et habes, quod accepisti. Datum tene, sed Datorem agnosce.

Si in Domino gloriandum est, non oportet gloriari in lingua, quia in ipsa benedicimus Deum et Patrem, et in ipsa maledicimus homines, qui ad similitudinem Dei facti sunt. Ex ipso ore procedit benedictio et maledictio. Quod si zelum amarum habetis et contentiones sint in cordibus vestris, nolite gloriari et mendaces esse adversus veritatem. Quae desursum est sapientia, primum quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens, plena misericordia et fructibus bonis, non judicans, sine simulatione. Si linguis hominum loquar et angelorum, charitatem autem non habeam sum velut aes sonans aut cymbalum tinniens, dicit S. Paulus. Adde charitatem, scribit S. Augustinus, prosunt omnia: detrahe charitatem, nihil prosunt caetera. Pascit esurientem charitas, pascit et superbia: charitas, ut Deus laudetur, superbia, ut ipsa laudetur. Vestit nudum charitas, vestit et superbia: jejumat charitas, jejumat et superbia: sepelit mortuos charitas, sepelit et superbia. Vae homini, cujus auriga superbia est, necesse est enim, ut praeceps eat. Noli attendere, quod floret foris, sed quae radix est in terra. Redite ergo intus, Fratres! et in omnibus, quae facitis, intuemini testem Deum. Finis praecepti est charitas de corde puro et conscientia bona et fide non ficta, a quibus quidam aberrantes, conversi sunt ad vaniloquium. In nobis autem superabundet gratia Domini nostri cum fide et dilectione, quae est in Christo Jesu. Depositum custodiamus, devitantes profanas vocum novitates et oppositiones falsi nominis scientiae. Gaudeamus in Domino semper, et pax Dei, quae exsuperat omnem sensum, custodiat corda nostra et intelligentias nostras in Christo Jesu. Unctio, quam accepimus ab Eo, maneat in nobis et docebit nos in omnibus, quod verum est. Proficite, Fratres, discutite vos semper sine dolo, sine adulatione. Semper tibi displiceat, quod es, si vis pervenire ad id, quod nondum es. Nam ubi tibi placuisti, ibi remansisti. Si autem dixeris, sufficit, et peristi. Semper adde, semper ambula, semper profice: noli in via remanere, noli retro redire, noli deviare. Considera teipsum, ut scias, quid desit tibi. Nam cui non desit? Omnia illi desunt, qui nil sibi deesse putat. Sed proficiamus in fide et scientia Jesu Christi et in charitate per Spiritum Sanctum, unanimes, idipsum sentientes, nihil per contentionem, neque per inanem gloriam, sed in humilitate superiores sibi invicem arbitantes, non quae sua sunt singuli considerantes, sed ea, quae aliorum. Charitas enim Christi urget nos, aestimantes hoc, quoniam si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt, et pro omnibus mortuus est Christus, ut et qui vivant, jam non sibi vivant, sed Ei, qui pro ipsis mortuus est, et resurrexit. Haec sentite, haec sapite. Haec sint nostra vitae regula.

Constituta est in patria nostra sodalitas, quae literaturam patriam unitis viribus promovendi sibi scopum et finem praefixit. Labor laude dignus! Haec sodalitas patrio sermone „Matica“ vocatur, quae apud Reginae instar omnes consociet, conteneat, qui per scientiae campos circumvolent et mel dulce sapientiae colligant, quod applicent ad os suum lassi et laborantes, et illuminentur oculi eorum. Dum invitatio „Povabilo“, ad nomen huic

Sodalitio dandum, Vobis, Fratres in Christo! hic adnexum mittitur, haud ab officio nostro alienum esse duximus, attentos Vos reddere ad fundamentum, cui superstructi sumus et in quo crescere debemus velut lapides vivi, in templum Dei sanctum. Qua sacerdotes lumen esse debemus mundi, sed lumen illuminans ad vitam et non obfuscans ad interitum. Populus nostrae curae concreditus catholicae veritati est addictus; hanc igitur roborare, illustrare et animis profundius inserere tenemur. In omni unione, quae literaturam patriam promovendam sibi proposuit, inprimis curandum est, ne veritas catholica detrimentum capiat. Pulchrum et decorum est, si animarum pastores in re literaria excellunt, si in capite eruditorum splendent, sed normam habent in fide sua catholica, quam transgredi non licet. Qui in societate „Matica“ constituenda et dilatanda tamquam antesignani fulgent, nominibus suis subscriptis testati sunt, se venerari veritatem catholicam, cui Sloveni sincere addicti sunt, se illam sanctam habere, et in libris edendis regulam catholicam nunquam laedere, tamquam legem sodalitatis suae agnituros esse. Prout hucusque, qui de literatura slovenica bene meriti sunt, maxima ex parte e cleri catholici medio prodire, sic in posterum in desideriis est, ut sacerdotes catholici novo sodalitio se adjungant atque pro viribus societatis finem praefixum promoveant. His ita stantibus omnis, qui nostra aetate literaturae influxum in hominum vitam et mores agnoscit, non potest non desiderare, ut sodalitas „Matica“ dicta laetum habeat profectum, sed etiam, ut laude digno exordio progressus aequae exoptatus respondeat. Nuper a Sede Apostolica Germaniae episcopis significatum fuit, conventus eruditorum, quibus etiam literariae societates quodammodo accenseri possunt, nullimodo a Sede apostolica improbari, sed sollicitam esse, ne ullum ex iis catholicae doctrinae puritas et Episcoporum auctoritas inde detrimentum capiat. Omnes Labacensis dioecesis sacerdotes, qui forsitan sodalitio „Matica“ nomen sunt daturi, ad mentem Sedis apostolicae suam agendi rationem esse conformatos, nullus dubito.

Labaci die 20. Septembris 1864.

Anno praeterito i. e. post Christum natum 1863 die 25. Septembris a Patre nostro Sanctissimo Pio PP. IX. Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris editum est decretum hujus tenoris: Nos divino afflante Spiritu sexto Idus Decembris a. 1854 in Patriarchali Basilica nostra Vaticana pronuntiavimus, declaravimus ac definivimus doctrinam, quae tenet Beatissimam Virginem Mariam in primo instanti suae Conceptionis fuisse singulari Dei Omnipotentis gratia et privilegio intuito meritorum Jesu Christi Redemptoris humani generis, ab omni originalis culpa labe praeservatam, esse a Deo revelatum, atque idcirco ab omnibus fidelibus firmiter, constanterque credendum. — Verumtamen quoniam necessarium esse novimus, ut cum lege credendi lex conveniat supplicandi, idcirco eo curas Nostras convertimus, ut novum conderetur Officium cum nova Missa in festo immaculatae Conceptionis. Jam vero, quum hujusmodi opus ad optatum exitum perductum sit, memoratum Officium Missamque respondentem de consilio peculiaris Congregationis Sacrorum Rituum ad id apposite per Nos deputatae Auctoritate nostra Apostolica approbandam existimavimus. Itaque de ejusdem Congregationis consilio, certa scientia ac matura deliberatione Nostra idem Officium, Missamque Officio respondentem Auctoritate Nostra apostolica per praesentes litteras probamus, eademque Auctoritate apostolica praecipimus, ut hoc unice Officium et Missam, quicumque de Clero saeculari et regulari, non exclusis monialibus ad Horas Canonicas persolvendas quocumque titulo teneantur, adsumere debeant anno 1864 sub poena Divini Officii minime adimplendi. Auctoritate nostra

apostolica abolemus et proscribimus quodcunque aliud Officium et quamcunque aliam Missam de immaculata Conceptione, etiam si sint ritus a Romano diversi, ac licet singulari privilegio concessa fuerint etiam cuicunque Ordini regulari.

Ad huic decreto Apostolico satisfaciendum procuravimus Missas et Officium immaculatae conceptionis in forma a congregatione romana approbata, et haec exemplaria omni Clero venerabili Dioecesis Labacensis transmittenda curavimus pretio satis exiguo.

Singula Missae exemplaria veneunt 5 *cruciferis* monetae austriacae, Officii vero exemplaria singula pro 15 cr. — M. R. Domini Decani quamprimum notificent, quot Missae exemplaria pro Decanali districtu requirantur et pecuniam collectam in Ordinariatus Cancellariam expediant, a qua requisita exemplaria illico transmittentur. Firmiter tenemus et etiam praecipimus, ut ab omnibus hujus dioecesis tum sacerdotibus tum aliis ad officium divinum recitandum obligatis superius allegato decreto apostolico anno currente exacte satisfiat.

Datum Labaci die 20. Septembris 1864.

Bartholomaeus m. p.,
Episcopus.

N^o 1214.

Laut einer an das hohe k. k. Staatsministerium gelangten Mittheilung des hohen k. k. Kriegsministeriums kommen in neuester Zeit häufig Fälle vor, daß trigonometrische Signale beschädigt oder zerstört werden unter Umständen, die auf eine böswillige Absicht der Thäter hindeuten. Dem Militärärar werden durch die erneuerte Aufstellung solcher Signale namhafte Auslagen aufgebürdet, namentlich ist aber der Schade, welchen trigonometrische Operationen an ihrem wissenschaftlichen Werthe erleiden können, ein geradezu unberechenbarer, weil die während einer Arbeits-epoche gebauten Signale zur Durchführung der Operation durch mehrere Jahre unumgänglich erforderlich sind und überhaupt damit markirte Punkte bleibend unverrückt kenntlich erhalten bleiben müssen, um nachfolgende Arbeiten darauf basiren zu können.

Ein zerstörtes Signal, dessen identischer Mittelpunkt nicht mit voller Sicherheit gefunden werden kann, macht außer den Rekonstruktionsarbeiten noch Nachweisungen auf 6 bis 8 umliegenden trigonometrischen nöthig, was einen Zeitverlust von 2 bis 3 Wochen nach Umständen für mehrere Offiziere zur Folge hat. Insbesondere sind es die Arbeiten der eben in Ausführung begriffenen mitteleuropäischen Gradmessung, welche kräftige Maßregeln zum Schutze und Gedeihen des wichtigen wissenschaftlichen Unternehmens nothwendig erscheinen lassen.

Zufolge hohen Landesregierungs-Erlasses vom 17. August d. J. 3. 8758 sind sonach die k. k. Bezirksämter angewiesen worden, die gegen die Beschädigung von was immer für Anstalten und Vorrichtungen für öffentliche Zwecke, insbesondere aber der erwähnten Signale, wie auch gegen muthwillige oder boshafte Beschädigungen fremden Eigenthumes überhaupt bestehenden Gesetze und Anordnungen strengstens zu handhaben, auf die Entdeckung und Ahndung der Thäter in den fraglichen Straffällen besonderes Augenmerk zu richten, die Mitwirkung der Gemeindevorstände und der Gensdarmmerie zu diesem Behufe in Anspruch zu nehmen und die eigenen auf die Strafgerichtspflege Bezug nehmenden Amtshandlungen in derlei Fällen mit thunlichster Beschleunigung zu vollziehen.

Nachdem jedoch bekanntlich über den Zweck der trigonometrischen Signale unter dem ungebildeten Landvolke irrige Ansichten bestehen, und diese Anlaß oder Vorwand zur Anrichtung solcher Schäden oder Verhinderung der Ausforschung des Beschädigten geben, so wird die wohllehrwürdige Diözesangeistlichkeit in Folge hohen Staatsministerial-Erlasses vom 8. August d. J. 3. 12629/1462 aufgefordert, bei allen vorkommenden schicklichen Gelegenheiten nach Thunlichkeit dahin zu wirken, daß die Bevölkerung über den Zweck und Nutzen dieser Signale gehörige Aufklärung erhalte.

Fürstbischöfliches Ordinariat Laibach den 20. September 1864.

Bartholomäus m. p.

Fürst-Bischof.